

spem salutis abjecerant, Uluzzalioque in primis, qui consilii inops, fractus animo, Selymi iras pertimescens, cum sex ac viginti triremibus in Numidiam fugam meditabatur. Foederati in Zacynthi fretum delati, quod eo anni tempore minus tuta statio videretur, Guiscardum Cephalenes portum petunt. Ibi, coorta tempestate, Fuscarenos licet dissuadente (tanta reditus cupido Hispanorum inceserat animos) furenti atque agitato pelago se committunt: vixque occidente sole, in medium Ambracium sinum delati fuerant, cum, nimborum repente exorta vi, colluctantibus ventis, tonitruis, fulminibus, densissimisque imbribus e cælo decidentibus, naves transversæ aguntur; triremes, quæ postremum agmen obtinuerant, rursus in Guiscardum deferuntur; aliæ in altum abripiuntur; nonnullæ, quæ nondum condito sole, in Paxi conspectum venerant, iter Corcyram cœptum persequuntur; pontificia triremis, quam Divi Petri vocabant, inter Paxon & Rillam brevibus illisa est. Nocte media Austriacus, Columna, ac Fuscarenus Gomenitiarum portum tenere, ibique, quoad triremes reliquæ convenirent, subistere.

*Hispana
classis tem-
pestate ja-
ctata.*

Interea cum onerarias duas commeatu onustas Corcyram apulisse, aliasque expectari nuntiaretur, Fuscarenus, ne institutum iter prosequantur, sed adhuc aliquid adversus hostem moliantur, hortatur; suadet, onerariis, galeatiis, aliisque relictis impedimentis, ex omni numero centum ac quinquaginta selectis triremibus, remige, milite, bellico apparatu apprime instructis, proculque ab hostium in Peloponneso speculis in altum elatis, Cytheram pergant, Turcas Maleam promontorium trans-euntes adorianur; si prætervectos intellexerint, recta in Hellespontum, aut quo melius visum fuerit, contendant; palantes, metu percussos improvise facile opprimi posse. Quod ita eventurum fuisse, re ipsa postea constitit. Uluzzalius enim nostros Zacynthum petiisse per exploratores intelligens, perturbata ac fere disiecta classe, Maleam pervenerat; ibique, borea flante, cum promontorium superare non posset, aliquot dies morari coactus fuerat. Ceterum a Fuscarenis sententia abhorrens Austriacus, Leucadem potius oppugnandam censebat, quod ab omnibus imparata, cito in potestatem casura videretur. Dum vero Superantium, qui ad cogendas tempestate jactatas triremes pro-

*Naves com-
meatu onu-
stæ Corcyra
perveniant.
Fuscarenis
sententia de
classis Tur-
cica perse-
quenda.*